



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animæ. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

VII. De optatione bonæ mortis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

fui, timeo quòd spes mea parva
satis erit.

Sed tu Domine, qui neminem
vis perire, sed omnes salvos fieri,
præsta majorem gratiam, ad e-
mendationem vitæ, & ad speran-
da bona cœlestia, da spiritum
pinguedinis internæ.

Nunquam hic sit cor meum
secundum carnem lætum, sed ti-
mendo expectet * lethum.

* Id est,
mortem.

Nulla creatura me teneat aut
cura, sed tua optata præsentia
me trahat & confoletur.

Beatus, qui te expectat Domi-
ne; sed beatior, qui jam emigra-
vit ab hoc seculo nequam; non
enim ultra aliquid molestiæ sen-
tiet, vel timebit.

ORATIO

Plena
affecti-
bus; ani-
ma beata
ac celerè
mortem
desiderã-
tis, &
in primis
homini

CAP. VII. De optatione
bonæ mortis.

Spes mea Domine, à juventu-
te mea. (Psal. 70.)

In hac spe ad te confugio,
dum novissima hora & tempus
resolutionis meæ venerit. O si
bene paratus essem, ut mori sub
spe gratiæ possem?

O si

O si felici transitu diem ex-
tremum clausissem, & corpoream
farcinam deposuissem, quanta
tunc pericula & timores evasis-
sem!

Felix, quem elegisti & assum-
psisti, qui jam deposito corpore
transiit ex hoc mundo ad Pa-
trem; de exilio ad regnum; de
carcere ad palatium; de tenebris
ad lucem; de morte ad vitam; de
periculis ad securitatē, de labore
ad requiem; & de cūctis miseriis
ad perpetuam beatitudinem.

Felix anima, quæ jam potitur
præmio suo, gaudens in te Do-
mino Deo suo.

Sed heu mihi, quia incolatus
meus prolongatus est usque ad-
huc. Quàm gratiose & misericor-
diter mihi faceres, si citius me e-
vocares, & ad te pervenire sine-
res: ut ubi tu es, illic & ego es-
sem.

Ah! si maturius me ex hoc
mundo tulisses, quando necdum
inquinamenta ejus cognosce-
bam: & quando peccare etiam in
parvis metuebam, quanta mihi
bona in hoc præstitisses? Nunc

moribñ

do con-

veniens.

Felicēs

quibus

bene di-

spositis

cito me-

ri conce-

ditur.

Psal. 119.

autem diutius vivendo, vagatus sum longius à te, & offendi in multis.

Isaia 31

2. Væ mihi quid feci? Secutus sum passiones carnis, vanitates attraxi, virtutes deserui, innocentiam non custodivi, mala malis addidi, & proh dolor! expertus sum, quod legi: *Væ impio in malum!*

Vix sero redii, tarde incepti, in reditu non festinavi, in profectu non ferbui, in fervore non crevi, & quod deterius est, à pristino etiam calore refrixi.

Mors timenda ob labes vitæ præteritæ, sed & optanda ob pericula futura.

Hinc & mori sæpè timui, quia urgente conscientia non vixi ut debui. Sed propter pericula tentationum, ne fieret novissimus error peior priore, mortem frequenter optavi, & dixi: O si in gratia mortuus jam essem, ne tantis afficerer malis super terram! O si Deus me tempestive auferre dignaretur, & omnium laborum meorum finem imponeret, quàm bene tunc mihi contigisset!

Verum in voluntate tua Domine, omnia sunt posita. Si de-

cre-

creveris facere, quod postulo, erit continuo: sin autem, fiat voluntas tua.

Ego possum tibi insinuare desiderium meum, & calamitatem quam patior, non quasi nescienti, sed ut tali alloquio aliquod refrigerium animæ meæ faciam.

Scio, quia necdum bene paratus sum, conscientia enim adhuc multum metuit.

Et quid mirum, si ego peccator timeo, quando & multi sancti Patres timuerunt, cum aliter sint iudicia tua, aliter iudicia nostra?

Sed quomodo me præparabo? **Præparatio ad bonam mortem,**
Bonum utique esset, ut melius me præpararem in illum diem, quem ignoro, si hodie an cras futurus sit.

Innovabo firmiter propositum: præteritas negligentias deplorabo: totum me tibi immolabo; & tuæ misericordiæ me in perpetuum commendabo.

Domine Deus meus, in misericordia tua stant omnia opera mea, & nulla sunt propria merita nisi adsit tua immensa pietas &

miseratio. Et hæc est spes mea, & tota fiducia mea.

3. Sed qualiter est cum bona & immaculata conscientia? Quid dicit casta & devota anima?

Veni (ait) Domine Jesu; veni, & noli tardare, relaxa facinora mea, solve vincula, educ vincitum de domo carceris, de lacu miseræ, & de luto facis. Expectans expectavi te: intende mihi, & exaudi me.

*Animæ
piz su-
spira ad
Deum, ut
citius ab
hoc secu-
lo libere-
tur.*

Noli me apud seculum diutius relinquere. Satis sit, quod hucusque certavi; quod tanto tempore exulavi; quod te frui non merui, nec facie ad faciem contemplari potui.

Nunc optato concede perfrui gaudio, quod nullo finitur termino, nec ullo obnubilatur tædio.

Ostende mihi faciem tuam, quam Angeli semper vident; sonet vox tua in auribus meis, quam illi sine intermissione audiunt.

Veni Domine Jesu, & tolle me de terra aliena, revoca abjectum ad patriam, & in pristinum gradum

dum lapsum restitue. Veni redemptor bone; fac me participem æternæ tuæ gloriæ.

Tempus est, ut revertar ad te: tempus est, ut commendes terræ corpus meum, de qua sumptum est. Non est magna cura, ubi ponatur, vel qualiter tractetur: dummodo spiritus salvus fiat, & ad te perveniat.

Animæ hinc emigrantis de corpore modica cura est.

Habeat bene spiritus meus, quem tibi commendo: caro autem mea requiescat in spe, in novissima die resuscitanda nam ubicunque recondita fuerit, tibi remota vel ignota esse non poterit.

Recipe me ab hominibus, & Sanctorum tuorum me conjunge societatibus.

Tædet me vitæ temporalis: sola dies me delectat æternæ claritatis.

Non mihi obsistat in exitu de Ægypto Serpens antiquus; non latret contra me in porta inimicus; non tetra ejus imago perterreat; non mortis horror conturbet.

Sed sancti Angeli tui fideliter affi-

Contra
insidias
inimici
invocan-
di ss.
Angeli.

B. Virgo.

Et Chri-
stus ipse.

assistant, fortiter juvent, viriliter
protegant, blande leniterque sus-
cipiant, & ad cœlestem paradisi-
sum cum exultatione perducant.

Assistat & gloriosa Dei Ge-
nitrix Virgo Maria, & tota cœ-
lestis frequentia.

Et tu Jesu bone, dulcis, opti-
me, redde mihi lætitiā vultus
tui, & noli me reprobare à dile-
ctis Sanctis tuis: sed retracta seu
recordare, ô fili Dei, quia pre-
tioso sanguine tuo ab inimico
me redemisti.

Sulcipe me in gloria, in mise-
ricordia, & in bonitate tua; quia
desiderio desideravi apud te fa-
cere pascha.

O felix dies optati præmii
mei! Eia, benedicta hora transi-
tus beati, quam diu desideravi, &
semper præ oculis servavi.

Quid mihi jam nocuerunt
tribulationes & pressuræ in mun-
do? Quid obfuit contemptus, &
labor, & humiliatio pro nomine
tuo?

Philip. i.

Tu mihi vivere fuisti, nunc
autem mori lucrum erit, & esse
tecum in regno, multo melius
manebit. Sit

Sit tibi laus & gloria, qui es
vita viventium, spes morientium,
salus & requies omnium ad te
pervenientium.

CAP. VIII. De mortuo mundo,
cujus vita est in Christo.

Averte oculos meos, ne vi- *Psal. 118.*
deant vanitatem.

O Jesu vita vera, vita mori
nescia, tribue mihi ex amore con-
teri, ex amore vulnerari, ex amo-
re mori, ne caro possit mihi do-
minari.

Nondum perfecte mortuus
sum mundo, sed vivit adhuc in
me vetus homo; suscitans in me
varias rixas, & desideria multo-
rum malorum: faciens noctes a-
maras, & dies tædiosos.

O quando fiet, ut cum fiducia
dicam: *Ego autem estimabam* *Quid*
me, tanquam mortuum super *mori*
terram? Qui enim mortuus est, *mundo.*
non curat laudes hominum, nec
vituperia exprobrantium, quia
mortuus est.

Qui carne mortuus est, non
loquitur, non odorat, non gu-
stat.